



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclvsio LIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

Hostes Christi & Papæ sunt, qui propter uenias prædicandas, uerbum dei in alijs ecclesijs penitus silere iubent.

QVIA officium & mens Papæ est, ut ante omnia semper, & ubiq; uelit uerbū dei prædicari, sicut sibi præceptū esse a Christo nouit, Quomodo ergo credendus est Christo, & sibi ipsi res pugnare? At nostri id audent sicut & omnia.

C O N C L V S I O L I I I .

Iniuria sit uerbo dei, dum in eodem sermone, æquale uel longius tempus impenditur uenijis quam illi.

S A T I S patet ex dignitate uerbi dei, imo ex necessitate, cum uerbum ueniarum neq; sit necessarium, neq; multum utile.

C O N C L V S I O L V .

Mens Papæ necessario est, quod si ueniae (quod minimum est) una campana, unis pompis, & cæremonijs celebrantur Euangeliū (quod maximum est) centum campanis, centum pomspī, centum cæremonijs prædicetur.

QVIA nihil in ecclesia est maiore cura tractandū, q; Sanctū Euangeliū, cum ecclesia nihil habeat preciosius, & salubrius, unde & hoc unicū est opus, quod discipulis suis iniunxit, tam repetitis uicibus. Et Paulus dicit, se nō ad baptizandū, sed ad euangelizandū missum. Deniq; Christus præcipit sacramentū eucharistiae non celebrari, nisi in suā cōmemorationē. Et Pau. i. Cor. xi. Quotiescumq; māducabitis panē hunc, & calicē bibeatis, morte domini annunciabitis. Melius est em̄ omittere sacramentū, quā euangeliū non nunciare. Et ecclesia statuit Missam sine lectione Euangeliū nō celebrandā. Plus itaq; ponderat Euangeliū q; missam deus, quia sine euangeliō non uiuit homo in spiritu. Sine missa aut̄ uiuit. In omni uerbo em̄, quod procedit de ore dei, uiuet homo, ut latius Ioan. vi. dominus ipse docet. Deinde missa reficit eos, qui iam sunt in corpore Christi, Euangeliū uero, gladius spiritus, deuorat carnes, diuidit Behemoth, tollit uasa fortis & auget corpus ecclesiæ. Missa nulli prodest nisi iā uiuo, Euangeliū prouersus omnibus. Vnde in primitiua Ecclesia permittebantur Energumeni & catechumeni usq; post Euangeliū interessere,